Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

plura variantia duo noto, quae mihi in *Cod.* praeplacent: unum: *ibi ſe alacriter expoliauit*, ubi edita: *ibi ſe lacerna birro expoliauit;* videtur enim τὸ *birro* redundans γλωσσημα, et *lacerna* ex *alacriter* fictum. Alterum, ubi edita legunt: *Corpus — in proximo poſitum eſt cum cereis et ſcolacibus* &c. rectius habere videtur Codex: *Corpus — in proximo poſitum eſt, per noctem autem — inde ſublatum eſt ad ceteros* (cereos) *et ſcolares* (Scolaces, Σκολακας, Funalia). *Fol.* 51. reſumuntur *Epiſtolae*, quae ſunt *Felli* 53. 21. 22. 8. 35. 41. 42. XXII. igitur cenſet Epiſtolas Codex, quarum, quae hic *Octava* eſt, perperam audit *Celerini reſponſio ad Lucianum de cura paſtoris et ad obuiandum ydolatriam.* Reſcribe: *Cleri Romani ad Clerum Carthaginienſem de ſeceſſu Cypriani.* Sed et alia multa Librarii inſcitiam urgent.

CCLXXVII.

U.269 Codex membraneus lat. Sec. XII. inclinantis, Folior. nunc 135. f. charactere luculento eleganter exaratus, rubricis diſtinctus, et a. 1540. ab *Joh. Fabro* Ep. *Vindob.* ſuo ad S. *Nicolaum* Collegio donatus continet *L. Caec. Firm. Lactantii Libros VII. Diuinarum Inſtitutionum.* Praeſcripta ſunt p. 1. manu Sec. XIV. Notitia brevis *decem Sibyllarum*, tum Elenchus Contentorum in *Codice*, e quo liquidum fit, avulſum quondam ab eo fuiſſe *Tractatum de qualitate lune per menſes, ferias et horas, Librum ſompniorum danielis*, et *Narracionem de preſagijs tonitruum;* p. vero 2. manu, qua *Codex* ipſe, Judicia *Hieronymi* de *Lactantio tria*, praevio *Honorii Auguſtod.* L. I. Cap. 81. quod Noſter compilatum ait *ex chronicis hieronimi. Gennadii. Yſidori. et Bede aliorumque.* In hoc numerantur *Lactantii ad Demetrianum Epiſtolarum Libri* III. cum in edit. *Fabric. Hieronymus* II. *Honorius* VII. computet, *Gennadius* autem et *Iſidorus Lactantium* prorſus taceant. Succedunt mox *Capitula*, id eſt, Tituli, *librorum Septem Firmiani Lactantii*, et tandem p. 3. *Incipit liber 1ᵘˢ — De falſa religione deorum. Magno et excellenti ingenio viri cum ſe doctrinę penitus dediſſent* &c. Hoc *Libro* locus a verbis: *Quod ſi in uno exercitu*, qui in Edit. *Parif.* 1748. 4. habetur T. I. p. 11. —13. usque ad verba: *etiam reges fuerunt, in quos cadere* &c. in *Codice* adjecto ad p. 4. *folio* manu Sec. XV. ſubpletus eſt. *Liber III. fol.* nobis 55. abrumpitur in his verbis: *huius itaque peruerſę poteſtatis* — quae habentur ſub finem *Cap.* 29. edit. *cit.* p. 269. *Libri ult.* finis: *premium uirtutis quod ipſe promiſit a Domino conſequamur.* Sed adtexta eſt veluti Peroratio, quae examinata ad *Librum Lactantii de Opificio Dei* pertinet, cujus *cap.* 19. edit. *cit.* T. II. p. 121. partem conſtituit a verbis: *Illud quoque uenire in queſtionem poteſt* &c. ad verba: *quo uitam poſſet adipiſci*, a quibus ad illa *Cap.* 20. transfilit: *Hec ad te deme-*